



**Geschichte der geistlichen Stiftungen, der adlichen  
Familien, so wie der Städte und Burgen der Mark  
Brandenburg**

[Urkunden-Sammlung für die Orts- und spezielle Landesgeschichte]

**Riedel, Adolph Friedrich**

**Berlin, 1857**

VIII. Eine Hauptvorschreybung Hern Heinrichs, Hern zu Mekelnburk vnd  
Stargard, Darin er die obgesetzte erste Foundation vnd Donation des  
Closters Himmelpfortenn Ratificiret vnd Consentiret, vnd ...

---

---

**Nutzungsbedingungen**

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54745](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54745)

VII. Eine Donation vnd Befreyhung Hern Heynrichs Zu Mekelnburk u. f. w. aller güter, Zu dem Hoff Thymen gehorigk.

Henricus. Dei gratia Dominus Magnopolensis, Omnibus Christi fidelibus presens scriptum uiforis seu auditoris salutem in domino sempiternam. Facta memorie digna, scriptis commendare decreuit antiquitas, ne longinquitate temporis, quod iuste ac rationabiliter actum dinoscitur, cuiusquam obliuione uel temeritate contingat in dubium reuocari. Nouerint ergo Vniuersi, quod nos religiosorum fratrum ordinis Cysterficiensis considerantes uitam celibem, bonorum operum frequentiam ordinisque sanctitatem, sperantes in anima et corpore apud Deum deuotis eorum precibus salubriter adiuuari. Ad laudem Dei omnipotentis et beate Marie Virginis pro salute anime nostre et vxoris nostre ac progenitorum nostrorum, nec non successorum nostrorum, Damas eisdem fratribus ordinis Cysterficiensis bona omnia ad curiam Thymen spectantia, in uillis seu mansis, cum omni iure, proprietate, libertate, Terris cultis et incultis, lignis, paludibus, aquis aquarumque decuribus, molendinis constructis et construendis, piscationibus, pratis et pascuis, cum suis pertinentijs et utilitatibus quibuslibet, sicut ea ad nos perduxerunt per nos et nostros heredes seu successores, ab omni precaria et exactione qualibet seu grauamine omnique seruitio communi et speciali, Quod per nos, nec non aduocatos nostros, bodellos seu quoslibet officiales nostros extorqueri posset, libera perpetuo et exempta, Nihil iuris in bonis predictis nobis et nostris successoribus retinentes. Ut autem predicta omnia a nobis nostrisque successoribus perpetuo maneant inconuulsa, Dedimus fratribus sepedictis ordinis Cysterficiensis presentem paginam sigilli nostri patrocinio firmiter communitam. Testes quoque huius sunt milites nostri Dominus Buffo de Dolla, Dominus Willekinus Soneke, Dominus Rodolphus Wodenfwege, Dominus Ekhardus de Dewitz, Dominus Hinricus Soneke, Dominus Vicko Mundt, Dominus Johannes de Plauue, Dominus Crowel, Dominus Rodolphus de Dolla et quamplures alii fide digni. Datum Anno Domini Millesimo trecentesimo quarto, XIII Kalendas septembris, in die beati Magni martiris.

Dise Copei ist von mir Erassmo Seydell, von beiden Gewalten Offenem Notario, Collationirt vnd Auscultiret vnd ist mit seinem Rechten Pergamenen Original allenthalben gleichlautende, Welchs Ich mit Diser meiner eigenen handschrift bezeuge vnd bekenne

VIII. Eyne Hauptvorfchreybung Hern Heinrichs, Hern zu Mekelnburk vnd Stargardt, Darin er die obgefatzte erste Fundation vnd Donation des Closters Himmelpfortenn Ratificiret vnd Consentiret, vnd vereigent dem Closter auch dieselben güter mit Anweisung der Hundert hufen u. f. w., davon In Marggraf Albrechts Fundation etc. gefetzt.

In nomine sancte et Individue Trinitatis Amen. Quoniam ea, que Ecclesiis dei et in his degentibus a piis principibus instrumentorum robore liberaliter ac perpetualiter sunt impensa, nulla unquam fas est labefactari calumnia, sed quecunque donata sunt et concessa, integraliter et irrefragabiliter obseruari. Hinc est, quod nos Henricus, Dei gratia Dominus Magnopolensis et Stargardensis, recognoscimus publice per presentes, quod princeps magnificus Dominus noster Albertus, Marchio Brandenburgensis illustris, cum nostro consensu ad laudem Dei omnipo-

tentis eiusque matris Marie Virginis perpetue in terra sua ac nostra Lychen Nouvelle plantationis fundauit Ecclesiam Ordinis Cysterficiensis, quam Celiportam uulgariter nomine appellauit, quamque bonis suis subscriptis dotaui, prout in presentibus et etiam suis priuilegiis eidem Ecclesie datis lucide est expressum. Donauit enim eidem Ecclesie primo uillam Carstauell cum suis pertinentiis, magnam Thymen cum molendino, quod Thymermöln dicitur. Insuper omnes mericas et siluas siue paludes adiacentes et specialiter siluam, que Stolperbruk dicitur. Item dimidium molendinum Stolp cum merica et silua, que protenditur a metis campi Cayrstauel usque Vorstenberghe. Item uillam Charlin cum merica et distinctionibus suis. Item paruam Thymen cum molendino. Item uillam Lyneiefere cum suis pertinentiis. Item uillam Brusenuuolde cum suis pertinentiis. Item molendina in ciuitate Lychen et molendinum ante ciuitatem eandem et molendina apud uillam Custryn. Item stagnum Platekouu. Item stagnum protendens a uilla Wbechar usque ad molendinum infra Lychen et deinde usque ad uillam Stolp. Item stagnum Stolp usque in Vorstenberghe cum paruo stagno adiacente. Item stagnum apud magnam Thymen. Item stagnum Zuuagerouu. Item stagnum Dobelouu. Item stagnum Bringenthyn. Item stagnum apud Lyneiefere. Item stagnum situatum in campo Lybbewe. Item stagnum apud Karstauel. Item stagnum apud Ruthenberghe, quod Crun dicitur. Item ab eodem stagno Krun omnia stagna interiacentia usque in Lychen, Et generaliter omnia stagna magna et parua, riuos et omnes aquas ad terram Lychen pertinentes, cum piscationibus et utilitatibus singularum, cum molendinis iam constructis et processu temporis construendis, Villas quoque predictas et centum mansos in terra Stargardenfi cum omnibus agris cultis et incultis, nemoribus et mericis, siluis et paludibus, pratis, pascuis et omnibus attinentiis et distinctionibus, cum omni iure, proprietate, iurisdictione, dominio et utilitatibus quibuslibet, in omnibus et per omnia, quemadmodum easdem villas cum dictis centum mansis in terra Stargardenfi predicta possederat et nos possedimus, cum nostro consensu eidem donauit Ecclesie Celiporte Iusto proprietatis ac libertatis titulo in perpetuum possidenda. Adiecit quoque premissis, nostro consensu plenius accedente, quod nec ipse, nec nos, nec aduocati sui uel nostri, qui processu temporis fuerint, seu bodelli in bonis premissis eiusdem Ecclesie in quacumque causa criminali uel civili nullam iudicandi habebunt de cetero potestatem. Ipsa enim bona ab omni precaria, exactione qualibet et omni seruitio communi et speciali perpetuo erunt libera et exempta, nihil iuris sibi uel nobis, uel suis aut nostris successoribus retinuit in eisdem. Nos igitur huius magnifici principis domini nostri Alberti, felicitis recordationis Marchionis Brandenburgensis, religioso proposito quam plurimum congaudentes, sed et operum tam piorum cooperatores et conparticipes fieri deuotissime cupientes, simulque in animarum nostre et uxoris nostre, Domine Beatricis, eiusdem Illustris principis filie, et omnium progenitorum nostrorum salutem et remedium, foundationem predicti Cenobii Celiporte Cysterficiensis ordinis ratam et gratam habentes, confirmamus et condonantes stabilimus et ratificamus quecumque superius memorata, uolentes uniuersa illibata et in perpetuum inuolabiliter integra obseruari. Assignantes nihilominus et distincte demonstrantes in terra nostra Stargardenfi pro centum mansis, de quibus supra dictum est, necdum tamen adhuc distinctis, bona inferius annotata. Inprimis Villam Nedemyn cum suis pertinentiis, agris cultis et incultis, siluis, nemoribus et mericis, pratis et pascuis uniuersis ipsi uille attinentibus, aquis, riuis et paludibus, cum molendino eiusdem uille super aquam, que Tholosa dicitur, constructo et aliis forte pro tempore construendis, cum omnibus eiusdem aquis in longum et in latum quoad usque eius uille termini protenditur, Ita quod uterque meatus earundem aquarum Tholose, uidelicet usque ad extremum litus uersus ciuitatem Trebethouue, cum omnibus insulis siue mediannis, eidem diui-

tionibus aquarum ibidem interclusis, cum piscationibus et utilitatibus quibuscumque ad prefatam Ecclesiam debebunt perpetuo pertinere. Item uillam Werben cum omnibus suis pertinentiis. Item decem mansos in uilla Vlatouu cum suis distinctionibus uniuersis, quos Wilhelmus Soneken senior, miles, a nobis hactenus feodaliter tenens, sed ex nunc tenere debet ab Ecclesia supradicta. Hec itaque bona cum uniuersis suis pertinentiis, cum omni iure, proprietate, iurisdictione, dominio et utilitatibus quibuscumque, libertate etiam plenaria in omnibus et per omnia, quemadmodum predicta uniuersa donata sunt, Damus et assignando donamus prefate Ecclesie Celiporte loco et nomine centum mansorum in terra nostra Stargardenfi, cum uniuersis bonis prelibatis Iusto proprietatis ac libertatis titulo in perpetuum possidenda. Ut igitur hec omnia et singula, in priuilegiis dicte domus Celiporte expresse contenta, perpetuo et inuolabiliter conferentur, presentes conscribi et sigilli nostri appensione fecimus communiri. Testes quoque huius sunt: Wilhelmus Soneke, Henricus Soneke, Buffo de Dolla, Bernardus de Peccatel, Vicko de Vitzen, Henricus Crouuel, milites; Henricus et Godeko, nostre curie Cappellani, et plures alii fide digni. Datum Nien Brandeborch, Anno domini M<sup>o</sup>. CCC<sup>o</sup>. quinto, sexto decimo Kalendas octobris.

Concordat et hec Copia cum suo originali uero et incorrupto, quod attestor ego supradictus Notarius Eras. Seydell hoc meo chyrographo.

Vnd seindt Diser Copei Zwei Original mit VIII bezeichnet Zu befinden.

IX. Marggraff Otten vnd Marg. Woldemarfi Priuilegium vnd Kauffbrieff vber die Dorfer Stolpe, Bredereike, Rudow vnd Tangerisdorf, vnd ist der andere Brief hirunten nach disem mit XI betzeichnet, fast gleiches Inhalts, paucis mutatis.

In nomine sancte et indiuidue Trinitatis Amen. Otto et Woldemarus, Dei gratia Brandenburgenses, Landesbergenses et Lusacenses Marchiones, Vniuersis Christi fidelibus presens scriptum uisuris salutem in eo, qui est omnium uera salus, uirtus et uita. Labi potest cum lapsu temporis, quicquid disponitur, nisi literarum cautionibus aut personarum testimoniis confirmetur. Eapropter constare uolumus omnibus Christi fidelibus tam presentibus quam futuris, quod honorabili uiro, domino Johanni, Abbati in Lhenyn, ordinis Cysterciensis, et suo conuentui, proprietatem quatuor uillarum, Videlicet Stolp, Bredereyke, Rhudouue, Tangerstorp pro trecentis marcis argenti Brandenburgensis vendidimus, quas uillas quondam Redekinus, de Redere dictus, a nobis in pbeudo tenuit et eidem fratribus pro constructione Cenobii, quod Celiporta dicitur, pro nongentis marcis argenti Brandenburgensis vendidit et nobis sub tali forma resignauit, ut eadem uillas dictis fratribus cum iure proprietatis in possessionem legitimam conferemus cum omni pensione et cenlu et utilitate et fructibus inde percipiendis atque cum aliis omnibus suis pertinentiis, scilicet agris cultis et incultis, aquis, piscationibus uiuis et inuis, lignis, pratis, pascuis, areis ac ceteris aliis prouentibus ad easdem uillas spectantibus in perpetuum possidendas. Verum ut unicuiusque uille termini expressius atque enucleatius cognoscantur, dignum duximus, eos nominatim in longum et in latum distinguere et circum queque per ordinem euidentius explanare. Inprimis igitur termini agrorum uille Stolp protenduntur in longum usque ad nemus ciuitatis Lychen, habentes in sinistram partem aquam siue fluuium, qui Lychen dicitur, a predicta uilla usque ad nemus memoratum et ad partem dexteram distendentes se ad metas agrorum uille Bredereyke.